

Helices elasticæ ex filis ferreis in cochleæ modum ductis, extremitate murem vel aliud ridiculum animal gerentibus, confectæ, quæ, si liberæ linquantur, improvise motu nunc bellè, nunc pavidè, pueros afficiunt.

Pilæ lusus varii. In parietes pulsa redit in manus projicientis, in eodem licet loco permanentis; insigne reflexionis monitum. In altum centum pedes jacta recipientis volam multo majori percutit vehementia, quàm decem pedes solùm; manifestum inæqualis motûs gravium in aëre velociùs ac velociùs descendentiùm indicium.

Oscillationes, quas silex superficiem fluminis trajectus semper minores atque minores facit, Cartesio cogitandi subministrarunt vestigia & enucleandi nobilissimam de repercussione doctrinam. Et id genus innumera alia, quæ brevitatis amore sicco prætereo pede.

Imprimis verò pendulis quod frequenter utantur pueri, qui suomet ipsorum corpore penduli se sub arboribus hinc inde jactant, nemo nescit. Sed ex hoc lusu prodiit nobis PENDULUM; à situ quem sibi relictum tenet perpendiculari, Perpendicularum vulgò dictum. Quod quàm nobile sit inventum, dici non potest. Videtur res parvi momenti, cum, quid intus & in cute gerat, vix millesimus perpendat. Utilitas omnino auro præstantior est, quam exactissimè temporum differentias mensurando, motuumque etiam aliorum varietates determinando præstat.

Pendulum itaque dicitur quoad situm. *Chronoscopium* aut *Chronometrum* dici potest quoad usum generalem; quoad specialiozem, *Sphigmometrum*.

Exstiterè hæctenus, credo, infinitæ temporum mensuræ; præstantiorem tamen hæc unquam cuiquam in-

men-